Teologia

Papenkowicz Jakob

Ustiensis Jacobi: Quaestio de liberi humani arbitrii dominio et ad Deum subordinatione

AD LAVDEM ET GLORIAM

D. O. M.

QVÆSTIO DE Liberi Humani Arbitrij Dominio, & ad DEVM Subordinatione.

In Alma Acad: Crac: Regni Poloniæ Gymnasio Generali.

A

M. JACOBO VSTIENSE, ECCLEsiæ Collegiatæ S. Floriani Canonico, S. Th. & I. V. Doctore, ad respondendum.

PRO

Loco, inter S. Th. Doctores eiusdemque Almæ Acad: Professores obtinendo proposita.

IN

Collegio Serenissimi & Inuictissimi VLADISLAI *Olim Regis Poloniæ, Magni Ducis Lituaniæ nūcupato Maiore.*

Lectorio D. D. Theologorum, die 17 Mensis 9bris

Anno Domini 163[illegible] hora 14



Velificat Patriæ felix Patrioq; Lycæo
Hæc conferta bonis Nauicula innumeris
Quodq; vehit, promptè magnos partitur in vsus
Præsuleâ vt ne quis, destituatur ope.

Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino,

D. IACOBO ZADZIK,

Dei & Sedis Apoſtolicæ Gratia Epiſcopo Cracouienſi, Duci Seueriæ, &c. &c.

Almæ Acad: Crac: Cancellario Digniſſimo.

Dño & Patrono ſuo Clementiſsimo.

IN primordijs meæ cooptationis S. Th. Doctoribus, Almæ Acad: Crac: Profeßoribus, aßumptis partibus, Catholicæ veritatis, quoad bonitatem ac malitiam actionum humanarum in arenam producendæ, ad Te Illuſtr: Dńe Dńe recurro, atq; indignus Sacerdos ab Antiſtite benedictionem, Theologus à Principe Hierarchico approbationem, Academicus à Cancellario protectionem ſupplex peto, confiſus meos conatus non alibi, quàm ſub Tuis auſpicijs feliciores poße habere ſucceßus. Cùm enim omne datum optimum & donum perfectum deſurſum, ſicut vnguentum à capite in barbam Aaron, & in oram illius veſtimenti, ita à Chriſto Domino, quem vnxit Deus oleo lætitiæ, in Epiſcopos legitimos Apoſtolorum Succeßores, tandem inreliquum Eccleſiæ Chriſti corpus deſcendens, membris ad functiones, quibus nulla vis naturæ ſuppetit, obeundas facultatem largiatur; ideo iſtius communicatio proximè à Tua benedictione eſt expectanda, qui talium diſceptationum Diui-

na prouidentia arbiter es constitutus, & almæ Acad: Crac: in suo ordine conseruandæ atque exornandæ, Authoritatem tenes supremam. Cuiusuis Episcopæ in Regno Poloniæ dignitas, ex honoris eminentia, ex rerum gerendarum amplitudine, ex benè merendi tàm de Christi vinea, quàm de Repub: facultate, est præstentissima: Cracouiemsis gubernatio istis omnibus antecellere videtur, cui coniuncta est, conseruatio almæ Acad: Crac. sapientiæ per orbem Sarmaticum dispensatricis, & prospiciendi solicitudo, ne á strenuo scientiarum studio, à virtutum sinceritate, à vera gloria, ad species vanas consectandas, & operariorum & alumnorum deflectat contentio. Sicut enim ad statum cuiusuis Reipub. conuellendum, via irrependi vitijs non est pronior, quàm honesti simulatio, ita nulla res certiorē in cultura literarum inducit sterilitatem, quàm à solido & docendi & discendi labore, ad fucum aspectui hominum obijciendum translata industria. Vtriusq; dignitatis gloriam excelsis Tuis virtutibus & magnis meritis diuinitùs datam, Regni Ciues, populiq; studia in Tuo felici Cracouiam ingreßu, & Ecclesiæ Ordinibus, & Musis Academicis gratulabantur, nunc eadem alacritas, eò profundiùs in animos descendit, & in ore hominum magnificentiùs versatur, quò vberiores Tua sapientia, & in rebus gerendis dexteritas, in hoc solum & Solium pastorale quasi transplantata, & Ecclesiæ profert fructus & Academicis operis vigorem oportunum elargitur. Neq; enim homines ad Cracouiensis Cathedræ sublimitatem oculis cōuersos poßunt latere Tua consilia, digna generosis naturæ impetibus, digna sapientia ex fontibus scientiarum hausta, digna experimento, ex maxima rerum pro salute Reipub. administratione felicißima comparato, suscepta ad cultus Diuini incrementa, ad excitandam in populo erga Diuos Regni Tutellares, nominatim erga B. Ioannem Cantium deuotionis feruorem, ad Ecclesiarum restaurationem, ad iura vin...

tionem, hæresumq; extirpationem, quorum plurima iam in executione, alia in procinctu habes, ex illis ceu alter Ambrosius, post ardua Reipub. negocia gloriosè confecta, Christo Domino Summo Patrifamilias serotina huius vitæ hora oblaturus. Iā vero erga almæ Acad: studia subleuanda, in ordine quàm optimo retinenda, & exhilaranda, quæ & quanta sit Tuæ beneuolentiæ amplitudo? Inter alia, testis est Hierosolimitani contubernij collabentis restauratio, testis quoq; incredibilis animi in erigendas, fouendas Theologici studij contentiones propensio, dum conatus ad reserandum thesauros sapientiæ & scientiæ Dei inflammatos, nec retardari permittis, nec sub modio vis latere. Cùm enim plurimos ex Nobilitate ingeniorum flos, ad eos ex literis fructus, quo Respub: ex Tui ingenij sole percipit, aspirare, ob rem domi accisam minus valeret, Tu illi loco in quo sapientiæ, qua in excelso Ecclesiæ candelabro positus luces, incunabula exegisti, alimenta subministras, cæteris documentum relicturus, illam ex bonis eiusmodi dispensationem tùm demum à Christo Domino ad prœmia æternæ vitæ in meritum acceptandam, neq; hic fore transitoriam, quæ in egenorum, & præcipue in Christi vinea operariorum futurorum, aut necessariorum aliquando Reipub. Ciuium cedat subleuationem. Et quoniam in palæstra literaria; non satis est vitæ subsidia discipulis suppeditare, si informatorum diligentia languescat, simul ad labores S. Theologiæ explanandæ sincerè impensos promouendos, Tuæ beneuolentiæ sinum expandis, dum me quoque ingenio licet minùs alijs parem, nil tamen de Philosobhicis ac Theologicis certaminibus remittentem, sublimiores in alma Academia functiones capeßere voluisti, prudentißimè reputans. Theologicæ, quippe supremæ in alma Acad: Facultatis, studio florente, non defutura viua diligentiæ in minoribus disciplinis exempla, Ordinis Academici concentum mansurum vniformē, nec vnquam à D. Fundatorum & Protectorum intentione

deuiaturum. Quemadmodum enim Magistrorum doctrina atq; exempla; sunt quasi ignes subiecti, quibus discipuli ad studendi ardorem inflammantur; ita hîc Theologis ad lucubrandi profunditates intentis, in suæ vocationis arena frequentibus, neque ad inferiorem ingeniorum palæstram grauatim prospectantibus, in reliquarum artium ac scientiarum professoribus, non potest non æmulationis generositas inardescere. Et quamuis fortasse diutiùs, quam legibus nostris est definitum, opera mea in inferiore S. Theologiæ subsellio fuerit versata, absit tamen, vt propterea aliquid de ingenio & authoritate mihi accessisse præsumam. Sufficiat laboris assiduitate contentioneq; eniti, vt beatæ illæ animæ, stationi successorem, diligentiæ suæ æmulotorem obtigisse gratulentur. Contingat sanè rarius ingenijs mediocribus, cum summis in certamen venire, nihilominus compertum est, non paucos seria ac perpetua docendi assiduitate, etiam ad eruditissimorum fructificandi facultatem prope accessisse. Tu Illustrissime ac Reuerendissime Antistes Dńe Dńe Benignissime, sicut ad hanc laboris Theologici exedrā altiorem ex singulari in clientem gratia aditum præmuniuisti, fluctuantia proposita firmasti, etiam benedictione data athletam inunge, Authoritate protege, erigas fauore. Meum erit à Diuina Maiestate, SS. Tutellarium Regni intercessione fretum, precari, vt Te Ecclesiæ Crac: Pastorem vigilantissimum. Regni Poloniæ Senatorem consilio grauissimum, patriæ salutis zelatorem suspiciendum, Acad: nostræ Cancellariū beneuolentissimū, conseruatorē desideratissimū, Suis gratijs cumulatum, vita lōgæuū, incolumē, & florentē seruare dignetur. Dat Crac. ex Maiore Collegio Kalendis Nouembris. A. D. 1639.

Illustrissimæ Cels: Tuæ

humillimus cliens

M. Iacobus Vstiensis S. Th. & I.V.

QVÆSTIO
DE
LIBERI HVMANI ARBITRII DOMINIO ET AD DEVM SVBORDINATIONE.

Ex 1. Secundæ Doctoris Angelici.

V Liberum hominis arbitrium, in regno animæ, ſuper ſuos actus, tàm naturales quàm ſupranaturales, dominium obtineat, dependenter à præuia Dei motione quaſi Phyſicè concurrente, ſalua ſua libertate, ita, vt bonitas actuũ in Deum, malitia autem in hominis voluntatem ſit referenda nec ne?

CONCLVSIO I.

LIberum hominis arbitrium in regno animæ obtinet dominium, ſuper actus tam ordinis naturalis quàm ſupranaturalis.

COROLLARIA.

1. *Necesse est dari dominium super dictos actus altius dominio liberi hominis arbitrij.*

2. *Dominium super actus supranaturales, supponit auxilium gratuitum in libero hominis arbitrio.*

3. *Actus intelligendi ac volendi primo primi, sunt exempti ab hominis liberi arbitrij potestate.*

4. *Dominium liberi hominis arbitrij extenditur, ad actus & intellectus, & potentiarum sensitiuarum.*

5. *Actus, libero hominis arbitrio subiecti, alij sunt eliciti, alij imperati.*

6. *Caluinistæ negantes hominem in suis actionibus esse liberum, pugnant contra doctrinam naturalem & reuelatam atque contra experimentum.*

CONCLVSIO II.

IN regno animæ liberum hominis arbitrium exercet dominium super suos actus, tàm naturales, quàm supernaturales, dependenter à Dei motione præuia

COROLLARIA.

1. *Liberum hominis arbitrium, & quoad esse, & quoad operari, Deo subordinatur.*

2. *Actus liberi arbitrij vtriusq́ ordinis cum sui determinatione, sunt sub Dei dominio.*

3. *Non est possibile hominis liberum arbitrium prodire in actum, absq́ Physica Dei præmotione, in hominis voluntate recepta.*

4. *Diuina præmotio, nequaquam ab hominis voluntate pendet.*

5. *Solus moralis Dei concursus non sufficit, vt actus voluntatis liber sequatur.*

6. *Liberum hominis arbitrium nequit dici, primum se determinans.*

CONCLVSIO III.

CVm dependentia actualis dominij humani arbitrij super suos actus à præmotione Dei, salua manet voluntatis libertas.

COROLLARIA.

1. *Præuia Dei motio ita voluntatem hominis determinat ad vnum, vt relinquat indifferenti-*

2. *Humanæ voluntatis libertas, est participata.*

3. *Libertas arbitrij hominis specialiori modò tribuitur Deo, quàm hominis voluntati.*

4. *Præuia Dei motio, perficit humanæ voluntatis libertatem.*

5. *Voluntas hominis ita est domina suorum actuum, vt cuiusuis agentis exterioris excludat violentiam.*

6. *Necessitas consequentiæ, non tollit voluntatis humanæ libertatem.*

CONCLVSIO IV.

BOnitas actuum liberi arbitrij humani, in Deum est referenda.

COROLLARIA.

1. *Deus actus humani siue naturaliter siue supernaturaliter boni, est author.*

2. *Deus sub alia ratione spectatus concurrit ad actus naturaliter bonos, sub alia ad actus supranaturales.*

3. *Bonitati supernaturali, supponitur bonitas naturalis.*

4. *Actiones humanæ bonæ, quòd sint meritoriæ*

5. *Deus ad bonitatem actuum humanorum & efficienter & finaliter concurrit.*

6. *Negamus, Deum & hominis voluntatem, ad actus humanos bonos partialiter concurrere.*

CONCLVSIO V.

PRaui actus humani quoad eſſe naturæ ſiue entitatem, ſunt à Deo.

COROLLARIA.

1. *Conuerſio hominis ad obiectum virtuti contrarium contrarietate naturali, eſt à Deo.*

2. *Actus humani praui quoad entitatem à Deo ſunt prædefiniti.*

3. *Aſſerere: Deum actus extrinſecè mali in eſſe moris ſecundum ſuam ſpeciem cōſiderati, eſſe cauſam, nil vetat.*

4. *Decipiuntur qui docent, Dei concurſum ad actus mali entitatem, eſſe indifferentem.*

5. *Non poteſt in bona Theologia admitti, Deum habere ſe permiſſiuè ad entitatem actus humani mali.*

6. *Deus, etiam ad actus humani intrinſecè mali entitatem, concurrit quaſi Phyſicè.*

CONCLVSIO VI.

MAlitia actuum arbitrij liberi in hominis voluntatem est reducenda.

COROLLARIA.

1. *Causa principalis actus humani moraliter mali, est hominis voluntas.*
2. *In actu moraliter malo exercendo voluntas hominis libera nulli coactioni subest.*
3. *Sensus, appetitus inferior, & ratio, non sufficiunt ad hoc, ut voluntas humana in actum malum prodeat.*
4. *Deus ad actus moraliter malos, habet se permissiuè.*
5. *Humani actus moraliter mali, à Deo in duplici decreto cognoscuntur.*
6. *Impiæ & blasphemæ sunt hæreses, quæ Deum auctorem constituunt actus humani moraliter mali.*